

CCXXXIV.

Anno 1712. 16. Maji. Viennae.

Carolus III. Rex de fidelitate Croatarum noviter edoctus, eosdem de conservandis eorum juribus et libertatibus certiores reddit.

CAROLUS Sextus Divina Favente Clementia Electus Romanorum Imperator Semper Augustus, Germaniae, Hispaniarum, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae Rex, Archi-Dux Austriae &c.

Reverendi, Honorabiles, Spectabiles ac Magnifici, Generosi. Fideles, Dilecti. Quam grata Nobis fuerit declarata rursum et in nupero Conventu Zagrabiensi et per Solennem Legationem a fidelissimis inclytorum Regnorum Nostrorum Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae Statibus in Nos totamque Augustam Domum avita devotio providaque avertendorum, quantum fieri queat, futurorum discriminum Solicitudine, ipsi Ablegati Vestri, Reverendus, Spectabiles et Magnifici, Generosusque Comes Emericus Esterhazy de Galantha, Episcopus Zagrabiensis, Abbas B. Mariae Virginis de Thoputzka, Consiliarius olim Caesareus et officij Banalis in Politicis Locumtenens, Joannes Draskovich de Trakostain, Consiliarius nuper quoque Caesareus et Camerariorum per Hungariam Magister, Generalis Vigiliarum Praefectus, Comitatum Valkowar et Burona Supremus Comes, denique Georgius Plenich de Ottok, Consiliarius antea pariter Caesareus, Regnorumque Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae Protonotarius, testimonium perhibere poterunt. Referent Vobis iidem, quid ad rem tam salutarem omnino perficiendam et quam solidissime stabiliendam Nobis necessarium visum fuerit: neque adeo dubitamus, quin una Nobiscum, ubicunque usus postulaverit, Vos porro sedulo incubituri sitis. Vobis vicissim firmissime spondemus, non solum Vestra Vobis jura, Privilegia et immunitates a Nobis Successoribusque Nostris inviolabiliter Semper conservatum, sed nec praeterea quicquam omissum iri, quod ad ingenitam Austriaci Sanguinis benignitatem et clementiam demonstrandam Regnorumque optime meritum commoda ulterius provehenda facere queat. Superest, ut probatos jam luculento judicio vestro ipsosmet Ablegatos vestros obita apud Nos egregie functione reduces Nostris quoque Verbis commendemus, Vosque simul de perenni gratia Nostra Caesareo-Regia quam certissimos reddamus, quod et lubentissimo animo ac benignissima in Vos omnes et singulos Voluntate nunc agimus. Da-